

ras, ita operare: Pone Regulam foramineam (vel etiam filum, si Regula brevis nimis sit, ut dictum suprà:) in Dioptram G. versusque H illam dirige: & reperies pedes 1225.

Inductio integra est talis:

Statio Mensoris	200.	pedum.
Distantia ad Montem c.	575.	
Distantia ad Montem d.	925.	
Distantia utriusque Montis c.d.	445.	
Altitudo Montis.	686.	
Distantia à statione Mensoris usque ad radicem Montis.	1225.	

C A P V T X V I I I .

De Instrumenti usu in dimetiendo pluribus locis ex Turri, in planis sitâ.

MENSURVS è Turri plura loca, & ad ea distantiam etiam à tua statione, operare in huc modum: Volve Regulam E in semicirculo super lineam proprie C. Regulam verò F super litteram D. unde Quadra recta emergat. Instrumentum tunc Baculo applica ad latus, volveque Regulam F cum semicirculo sursum & perpendiculariter, ita ut Regula cum littera E versus campum prospectet: metire inde funiculo deorsum ad Turris plantam, ibiq; finge te reperisse pedes 100. Si super hos volveris Dioptram H in Regula F. Dioptram verò G versus c. (ut ex figurâ insignitâ litteris a.b c.d. oculis subjicitur) viderisque, quot Dioptra G. puncta absindat, reperies puncta 60. Si porrò & distantiam à statione tuâ eò usque nosse cupis, pone Regulam foramineam in Dioptra G. illamque dirigere versus H. & reperies puncta 115.

Præterea